



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Qvæ sit causa efficiens habitus fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

causa, aut dispositio requiratur ad eius conservacionem, hoc est, an in peccatore fidei conservari possit. Denique de causa efficiendi, & dispositiva requisita ad eius augmentum. Quæ omnia difficultates non levis momenti ad hanc materiam pertinentes complectuntur.

SECTIO I.

Quæ sit causa efficiens habitus fidei.

¹ **S**uppono, habitus infusos, in quorum numero est habitus fidei, non fieri, vel generari ab actibus: ideo enim sunt habitus per se infusi, & non solum per accidens, quia ex natura sua per unum non fieri ab actibus, sicut sunt habitus acquisiti, sed dantur ad modum, potentia, non solum ad faciendum, sed ad simpliciter operandum: sine habitu enim infuso, vel sine auxilio actuali intrinseco, vel extrinseco, quod suppleat defectum habitus infusi, non potest fieri actus supernaturalis, & ideo hi habitus infundi dicuntur à solo Deo, quia non acquiruntur à nobis, sicut habitus acquisiti. Difficultas autem est, an infundantur à solo Deo immediate, an verò mediante aliqua causa secunda supernaturali: quæ questio communis est omnibus habitibus infusis, qui comitantur gratiam habituales, hoc est, habitui spei, & charitatis, si hæc distinguitur ab ipsa gratia, & habitibus virtutum moralium supernaturalium, si dantur hæc virtutes morales infusæ, provari supponunt communiter Theologi in 1. 2. agentes de virtutibus, & videri potest Suarez tom. 3. de gratia lib. 6. cap. 9. ubi tamen contrariam sententiam ab omni nota liberam esse facit.

² Aliqui ergo volunt, hos habitus infusos procedere à gratia habituali, quæ est quasi natura, & essentia in ordine supernaturali; procedere, inquam, per influxum physicum in genere causæ efficientis, quo gratia generat, & conservat hos habitus, sicut forma naturalis generat, & conservat suas potentias, & passiones. Quod exemplum formæ substantialis est præcipuum fundamentum huius sententiæ, quia hoc modo melius, & dignius explicatur connexio harum virtutum cum gratia, & dignitas, ac excellentia ipsius gratiæ, quæ in ordine ad operationes supernaturales præstat in homine iusto id, quod anima præstat in ordine ad operationes naturales, & ideo sicut anima est vita corporis humani, ita gratia est vita, & quasi anima ipsius animæ in ordine ad operationes supernaturales. Ita videtur sentire S. Thom. 1. 2. quest. 110. art. 3. ad 3. dum dicit de gratia, quod supponitur virtutibus infusis, tanquam earum principium, & radix: & art. 4. ad 1. dicit. Sicut ab essentia animæ fluunt eius potentia, quæ sunt operum principia, ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentias mouentur ad actum. Quem modum loquendi imitatur Conradus, & Capreolus quos affert, & eam sententiam latè probat, & defendit Granado in 1. 2. controuers. 8. de gratia tractat. 4. diff. 3. per totam.

³ Contraria sententia communis est apud Theologos, & verior quod gratia non habeat physicum influxum per modum causæ efficientis in eos habitus infusos: quam sequitur Zumel in 1. 2. quest. 110. art. 4. diff. 1. ad 1. Confirmationem

septimi argumenti, & cum aliis Suarez dicto lib. 6. de gratia cap. 13. num. 20. qui variis argumentis eam probat, quæ non omnia sunt efficacia. Probari autem potest primò ex principio generali, quod in Philosophia verius iudicavi, quod passiones, & potentia naturales non ita promanent ab essentia, ut ab ea per veram & physicam efficientiam fiant: dicuntur quidem ab essentia emanare, & effluere, quia essentia eas exigit, ad cuius exigentiam producuntur à generante, ad quem spectat complere essentiam, quam producit, iuxta illud commune proloquium, qui dat formam, dare debet omnia, quæ consequuntur ad formam. Debet enim constituere rem in suo statu connaturali, & completo, sine quo non potest naturaliter existere. Vnde inferebam, non solum in primo fieri, sed etiam in conservari, non dari hunc influxum essentiæ in suas passiones. Sicut enim loco generantis (si ipse idem non conservat essentiam semel productam) succedit alia causa conservans efficaciter essentiam; ita ad eandem causam spectabit conservare passiones, seu potentias propter eandem rationem: quia cum succedat loco generantis, debet succedere in eadem munere respectu omnium, quæ à generante dependebant; & sicut, qui dat formam, debet dare, quæ consequuntur ad formam, ita qui conservat formam, debet conservare ea, quæ consequuntur ad formam; quia sicut in fieri, ita & in conservari essentia exigit suas passiones, & ad eius exigentiam causa conservans essentiam, conservat passiones, vel si deperditæ sunt, restituit, ut in aqua, quæ separata ab igne recuperat suam frigiditatem, quæ emanare dicitur ab aqua, quæ eam exigit, & ob eius exigentiam producit à Deo, qui est causa conservativa aquæ.

⁴ Sed quidquid sit de hoc principio Philosophico, probari potest secundò, quod attinet ad habitus infusos, quia etiam si demus passiones naturales fieri in genere causæ efficientis physice ab essentia, id tamen locum habet in iis passionibus, quæ determinatæ ab essentia exiguntur, non in iis, quas indeterminatè, & disunctim solum exigit. Sic enim materia prima non potest existere sine aliqua forma substantiali, non tamen exigit hanc, vel illam in particulari, sed disunctim: idcirco forma non fit à materia, sed à generante. Item Angelus, vel etiam corpus in prima sui productione non potuit existere connaturaliter sine aliquo ubi intrinseco, quod etiam consequitur tanquam passio necessaria omne corpus, & omnem substantiam creatam: non tamen exigit determinatè hoc ubi in particulari, sed disunctim: ideo Angelus, vel terra in prima sui productione accepit à Deo primum ubi, quod habuit: potuit enim Deus Angelum creare in hoc, vel illo spatio, in cælo, vel in terra, vel aëre. Item intellectus Angeli exigit connaturaliter aliquas species, ne maneat otiosus, illas tamen iuxta communem Theologorum sententiam non produxit ipse sibi, sed accepit à Deo, vel ab obiectis, quia non exigit has, vel illas determinatè, sed aliquas disunctim, & sic de aliis similibus. Hoc autem modo videtur se habere gratia habitualis in ordine ad habitus infusos: quamvis enim exigit aliquos, non tamen illos exigit determinatè pro hoc tempore, ut constat de habitu luminis glærie, quod non exigit gratia statim ac infunditur homini iusto, alioquin maneret gratia toto tempore huius vitæ in statu violento sine potentia illa, quæ

quæ ipsi iam debebatur. Quod idem constat de habitu fidei infuso; potuit enim Deus dare homini iusto in primo instanti lumen gloriæ sine habitu fidei, vt dedit de facto humanitati Christi, & hoc sine vlla violentia, aut miraculo facto contra naturam, & exigentiam gratiæ, quæ quidem ex se non exigit habere lumen gloriæ per merita propria, cum pueris decedentibus cum Baptismo detur lumen gloriæ sine vllis meritis. Putuit etiam Deus homini viatori iusto non dare habitum fidei, sed scientiam infusam supernaturalem, ex qua posset elicere actus charitatis, & aliarum virtutum infusarum ad promerendam beatitudinem. Quod enim de facto detur habitus fidei, id non prouenit ex determinata exigentia gratiæ, sed ex decreto Dei, qui voluit de facto homines, & Angelos per fidem dirigere ad supernaturalem beatitudinem comparandam. Non ergo procedunt physice efficienter huiusmodi habitus ab ipsa gratia habituali, quæ ex se indifferens est ad hos, vel illos habitus, sicut Angelus in prima sui productione est indifferens ad hoc, vel illud *vbi*, sed solum disiunctim exigit aliquos habitus infusos ad operationes supernaturales.

5 Dices primò, licet gratia non exigit lumen gloriæ pro omni statu, nempe pro statu viæ, exigere tamen illud determinatè pro statu termini, seu extra viam: quod sufficit, vt lumen gloriæ sit propria passio gratiæ, licet non quarto modo, hoc est, competens omni, & soli, & semper, atque adeò sufficit, vt possit à gratia in tali statu physice produci. Nam canities etiam non competit homini in omni statu & tempore, sed solum in senectute; & tamen est proprietas hominis ab eo physice procedens, & non ab extrinseco. Sed contra, quia lumen gloriæ non se habet respectu gratiæ, sicut canities respectu hominis: hæc enim habet connexionem physicam determinatam cum ipso physico statu, & intrinseco hominis: at verò lumen gloriæ non habet connexionem physicam cum statu physico ipsius gratiæ. Nam status viæ inuoluit decretum extrinsecum Dei volentis decernere tantum, vel tale tempus ad merendum; propterea de facto decreuit tantam morulam durationis Angelis pro statu viæ, cum posset maiorem, vel minorem decernere, & nobis decreuit tempus mortis pro fine viæ nostræ, cum posset ante mortem viam terminare, vel etiam post mortem illam prorogare. Nihil ergo est physicum intrinsecum in ipsa gratia, vel in subiecto illius, à quo physice determinetur gratia tali tempore ad germinandum, & physice producendum lumen gloriæ, & per consequens gratia non est causa efficiens physica illius, sed Deus, qui illud infundit, quando vult præmiare iustum: ille enim, qui confert præmium, est causa præmij: gratia autem solum exigit indeterminatè, quòd detur lumen gloriæ in statu extra viam, quandocumque ex Dei decreto extrinseco finita æstimabitur ipsa via.

6 Dices iterum, licet gratia non exigit determinatè habitum fidei, vel luminis gloriæ, exigit tamen determinatè, & pro omni statu habitum charitatis, & habitus aliarum virtutum moralium infusarum, quæ semper gratiam comitantur: hi ergo habitus possunt dependere physice à gratia per dependentiam, & actionem physicam, sicut passionēs determinatè sunt ab essentia. Sed contra hoc est primò, quòd melius videtur colligi ex eo, quòd habitus fidei, & luminis gloriæ non sunt à gratia habituali, quòd nec etiam habitus charita-

tis, & alij habitus fiant à gratia, sed à solo Deo. Nam habitus infusi, vt diximus, habent se per modum potentiæ, atque ideo habitus fidei vel luminis gloriæ sunt quasi potentia intellectiue in ordine supernaturali, habitus vero charitatis, & alij habitus infusi pertinentes ad voluntatem habent se sicut potentia volitiua in eodem ordine supernaturali: non est autem iuxta rerum naturam, quòd gratia habitualis, quæ est qualis radix, & essentia in ordine supernaturali constituens animam in gradu intellectiui, & volitiui excellentiori, nempe supernaturali, possit asserere secum potentias in eodem ordine appetitiuas, & volitiuas, non verò cognoscitiuas, & intellectiuas, sicut si daretur quædam anima, quæ assereret secum potentiam volitiuam, non verò cognoscitiuam. Cum enim ideo homo sit volitiuus, quia est cognoscitiuus, seu intellectiuus, ab eadem forma debet in vtroque gradu constitui. Quare eadem etiam gratia debet constituere iustum in gradu radicali intellectiui, & volitiui supernaturaliter, & per consequens eadem gratia debet esse prima radix vtrumque potentiæ, nec aliter debet esse radix potentiæ volitiuæ, quàm intellectiue, atque ideo si potentiam intellectiui asserit solum exigendo eam à Deo, & hoc pacto facit hominem radicaliter intellectiuium in ordine supernaturali, eodem modo, & non alio debet asserere potentiam volitiuam supernaturalem exigendo illam à Deo, & hoc modo constituere hominem volitiuum radicaliter in eodem ordine supernaturali: de quo argumento dicendum est latius *sextine sequenti*.

Secundò impugnari potest eadem responsio, quia sicut gratia de se est physice, & intrinsece indifferens ad hos, vel illos habitus supernaturales pertinentes ad intellectum; ita est indifferens, si res attentè consideretur, ad hos, vel illos habitus supernaturales pertinentes ad voluntatem, & per consequens, si ratione huius indifferentiæ intrinsece admittitur, habitus fidei, vel luminis gloriæ non fieri efficienter à gratia; ita id debes admittre de habitu charitatis, & illis pertinentibus ad voluntatem; & in primis de habitu spei idem faciendum videtur, cum hic habitus in patria non remaneat, vt suppono ex communi sententia, & potuisset ab initio gratia esse sine illo, propterea contingit in Beatis. Quod etiam de habitu infuso Pœnitentiæ dicent illi, qui volunt eum habitum in patria non remanere. Sed inuincibile de ipso met habitu charitatis hoc idem probari poterit iis, quæ dixi *disp. 20. de Incarnatione scti. 1. 2. 18. & sequentibus*, nempe actum dilectionis Dei, quem habet Beatus, differre ex diuerso modo attingendi obiectum ab actu dilectionis Dei, quem habet viator, ita vt diuersus etiam charitatis habitus ad eos actus concedendus sit: eo quòd voluntas eodem modo attingat suum obiectum, quo ab intellectu proponitur: quare si in via Deus non proponitur clarè, & in se, sed ad modum rei corporeæ; cum eisdem imperfectionibus attingitur à voluntate, & à charitate in viam non potest enim voluntas aliud, vel aliter obiectum prosequi, nisi prout ab intellectu proponitur: unde habitus charitatis, qui potest cum ea perfectione Deum attingere prout est in se, diuersus erit ab eo, qui non potest Deum ita attingere; dicitur tamen verè, quòd charitas semper manet etiam in patria ablatis fide, & spe, quia manet hic, vel alius charitatis habitus perfectior loco huius. Sicut etiam dicitur in triduo perseverasse vnionem Ver-

bi diuini cum corpore, & anima separatis, licet iuxta probabiliorē sententiam non permanerit eadē numero vniō hypostatica, quā Verbum antea vniebatur toti humanitati per vnicam simplicem vniōnem hypostaticam, sed successerit duplex vniō, altera spiritalis cum anima, altera materialis cum corpore, semper tamen mansit Verbum vnitum vtrique parti, quod sufficit, vt dicatur semper perseuerasse vniōnem Verbi cum partibus, quas assumpsit.

8 Hoc autem idem argumentum cum proportionē applicari potest ad alios habitus infusos virtutum moralium, quod scilicet, ij etiam distincti sint in patria, & perfectiores ijs qui erant in via, quia actus etiam earum virtutum in patria, licet non sint ab habitu intensiori, perfectius tamen attingunt sua obiecta, & honestates virtutum, cum dirigantur à perfectiori notitia proponente perfectius eandem honestatem, nempe vel à scientia beata, vel à scientia infusa, quæ immēdiatē & quidditatiuē repræsentat clarissimē sua obiecta, prout in se sunt, & non per species alienas, & ad modum rerum materialium, prout cognoscuntur in via: quæ diuersitas refundi etiā debet in actus voluntatis, vt in prædicto loco probatum est. Vnde fit, gratiam habituales, sicut ex se indifferens est ad statum obsecritatis, & mortalitatis qualem nunc habemus, & ad statum claritatis, & immortalitatis, qualem habent Beati, ita esse etiam indifferentem ex se ad hoc; vel illos habitus infusos virtutum moralium, & per consequens neutros fieri efficiētē ad ipsā gratia sed solum emanare; quatenus sunt à Deo ad exigentiam ipsius gratiæ exigentis hos, vel illos disiunctim, vt passionēs & potentias debitas gratiæ in ordine supernaturali.

9 Tertiō denique principaliter confirmare possumus hanc communem sententiam negantem influxum physicum gratiæ in genere causæ efficientis in habitus infusos ex alia doctrina communi, & certa Theologorum, quod scilicet post peccatum mortale, quod non sit contra fidem, vel spem, manent in peccatore habitus infusi fidei, & spei. Hi enim habitus, licet sint passionēs gratiæ, manent tamen, vt actus fidei & spei, qui necessarii sunt ad conuersionem, & recuperationem gratiæ, & naturalius fiant ab habitu, quam si fierent ab auxilio actuali intrinseco, vel extrinseco. Quæ ratio congruentiā deficeret si habitus hi connaturaliter exigent conseruari ab habitu gratiæ per actionem supernaturalem, & miraculosam in substantia sua, nempe, per actionem solius Dei, quæ esset diuersa ab actione gratiæ, quam ipsi habitus iuxta suam naturam exigunt: quare non esset magis connaturale habitus illos manere sine gratia, quam actus fidei, & spei fieri ab auxilio sine habitu, cū in vtroque casu ponēdū esset aliquid intrinsecē supernaturale, nō solum quatenus pertinet ad ordinē entium supernaturalium, sed etiam quatenus esset supra ipsū ordinē supernaturalem, & eius exigentiam, & haberet quasi duplicatam supernaturalitatem, imo magis supernaturalis, & supra naturam ordinis supernaturalis esset conseruatio habituum sine gratia, cū esset aliquid permanens, quā productio actuum sine habitibus, cū hæc non esset continua, & permanens, sed pro aliquibus occasionibus: prout latius diximus supra diff. 9. sect. 2. vbi egimus de supernaturalitate habitus fidei. Cum ergo Theologi omnes supposuerint, habi-

tum fidei, & spei manere in peccatore, vt actus fiant magis connaturaliter: & cum minori violentia ordinis supernaturalis, dicendum est, eos habitus non petere suā conseruationem fieri ab habitu gratiæ, alioquin eadem, vel maior violentia fieret in conseruatione eorum habituum, quæ non solum esset supernaturalis quoad modum extrinsecum, quatenus non conseruentur à Deo ad exigentiam gratiæ, sed esset etiam supernaturalis entitatiuē, & duplici supernaturalitate intrinseca supra exigentiam ipsius ordinis supernaturalis, vt loco citato probatum fuit.

Nunc videamus breuiter argumenta, quæ affert P. Granado contra hanc communem sententiam. Primò affert S. Thomam in 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. cuius verba supra retulimus, quibus docet, habitus infusos seu virtutes effluere à gratia in potentias animæ, sicut potentiæ effluunt ab essentia animæ, & ideo ab Augustino dici gratiam respectu voluntatis esse sicut est fessor ad equum, & sicut mouens ad morum. Ad hoc autem responderetur ex dictis, hos habitus effluere quidem à gratia, & dimanare ab illa, ad quod sufficit, quod fiant à generante gratiam, hoc est, à Deo, ad exigentiam ipsius gratiæ, quo etiam modo in mea sententia potentiæ effluunt, & dimanant ab anima. Quamuis autem demus, potentias procedere ab anima, vt à causa efficiente physica, quia non disiunctim, sed determinatē exiguntur ab illa; non est necesse, quod in hoc etiam teneat exemplum. Nam vt gratia dicatur mouere voluntatem medijs virtutibus, quæ ab ipsa effluunt, quod erat intentum S. Thomæ, sufficit, quod gratia sit radix, à qua emanant tales virtutes, & quæ exigunt illas, vt virtutes proprias & quidem determinatē vt tales virtutes sunt, licet non has numero in indiuiduo. v.g. exigit charitatem infusam determinatē, licet non exigat hunc habitum charitatis, nec illum determinatē, & ideo dicitur gratia mouere voluntatem medijs virtutibus, quia per virtutes infusas, quas secum necessariò affert, & quæ illi debentur saltem sub ratione virtutum, charitatis, iustitiæ, &c. inclinat voluntatem ad actus supernaturales earundem virtutum.

Arguit secundò ratione, quia gratia est prima radix, & quasi essentia in ordine supernaturali, & aliunde non repugnat habitus infusos ab illa efficienter fieri, non enim dicuntur infusi, quia à solo Deo physicè fiunt, sed quia non acquiruntur per actus proprios, sicut habitus acquisiti, hoc autem modo melius intelligitur dignitas gratiæ habitualis, & eius connexio cum virtutibus infusis: sic ergo dicendum est. Ad hæc omnia iam ex dictis constat responsio: vidimus enim sine hac efficientia physica gratiam intelligi primam radicem, & quasi essentiam in ordine supernaturali: & animam etiam esse posse radicem suarum potentiarum naturalium sine tali efficientia: & saltem eam non esse ponendam, vbi passionēs aliquæ non determinatē exiguntur ab essentia, sed disiunctim. Denique vidimus inconuenientia, quæ ex tali efficientia sequerentur, vt constat, ex iis, quæ in probationem communis sententiæ allata sunt.

10
Soluuntur
argumenta P.
Granado contra
communem sententiam.

11